



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 11. Utrùm Ariminensis Synodi Episcopi, post Legatorum suorum
prævaricationem, lapsi sint in hæresim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

& Macedoniani & Semi-ariani vocati sunt: Macedoniani quidem, propter Macedonium, quo duce & instigatore, ex schismate in hæresim prolapsi sunt: Semi-ariani verò, quia cum Ariani seu Anomœi Filium æquè ac Spiritum sanctum creaturam dicerent, & contra Filium æquè ac contra Spiritum sanctum blasphemarent, ipsi cum Orthodoxis docentes Filium Patri esse verè similem essentia, adeoque unam & eandem esse Patris & Filii essentiam seu substantiam, solum Spiritum sanctum à substantia divina removebant, & amandabant ad creaturas.

Sed audire præstat Sozomenum lib. 4. c. 27. ubi hæc habet: *Postquam Macedonius Constantinopolitana exutus est Ecclesia, non amplius eandem cum Acacio & Eudoxio opinionem tenuit (hæc verba castiganda sunt ex Theodoro, & ex iis, quæ superius dicta sunt,) docebat enim Filium quidem Deum esse, per omnia similem Patri, adeoque secundum substantiam. (Idem etiam ante abdicationem suam docuerat.) Spiritum verò sanctum ejusdem honoris & dignitatis expertem esse asseribat: famulum ac ministrum enim appellans, ... Eandem cum illo opinionem amplexi sunt Eleusius & Eustathius, & reliqui omnes, qui eodem tempore à contraria sententia assertoribus depositi fuerant Constantinopoli. Itaque, si Sozomeno credimus, Seleucientes Legati omnes post suam & Macedonii abdicationem, ac proinde inter Omœusianos præcipui, quorum exemplum alios etiam ejusdem factionis Episcopos secutos esse, credere pronum est, contra Spiritum sanctum apertè blasphemarunt, & Macedonianorum seu Semi-arianorum sectam constarunt. Quod*

Confirmatur ex Socrate lib. 3. c. 25. ubi dicitur: Macedoniani libellum ei (Joviano) offerunt, postulantes ut ii quidem qui dissimilem Patri Filium asserbant, perellerentur Ecclesiis, ipsi verò in eorum locum substituerentur. Hunc libellum precum obtulerunt Basilii Ancyrae, Silvanus Tarsi, Sophronius Pompeiopolæ, &c. Et ex lib. 4. c. 4. ubi postquam dixit Macedonios Synodum Lampfaci celebrasse, & Antiocheni Concilii formulam, cui etiam Seleucia subscriperant, confirmasse, hæc inferius subiicit: Quocirca Eleusius Cyzici Episcopus, & qui cum illo erant, superiores partes atque quandiu obtinuerunt, cum Macedonii dogma adstruerent, quod antea quidem obcurum, post Synodum autem Lampfacenam manifestius factum est. Atque hoc Concilium in causa fuisse arbitror, cur Macedoniani tam frequentes sint in Hellesponto, &c. Et ex ejusd. lib. c. 12. ubi hæc narrat: Denud persequentores (Eudoxiani) adversus Macedonios grassari cepere, qui metu magis quam violentia constricti, per singulas civitates ultro citroque legatos inter se miserunt: significantes necessario confugiendum esse tum ad Fratrem Imperatoris (Valentinianum) tum ad Liberium Romanæ Urbis Episcopum, eorumque fidem amplectendam potius, quam ut cum Eudoxio communicarent. Mittunt igitur Eustathium Sebastie Episcopum, ... Silvanum Tarsi Cilicie, & Theophylum Castabalarum.

Confirmatur denique ex Illyricana Synodo. Nota, Eustathius unus è tribus Lampfacenæ Synodi Legatis, qui Romam ad Liberium venerant, unà cum Elpidio Romanæ Sedis Legato profectus in Illyricum, convenit Imperatorem Valentinianum. Illyricianorum Episcoporum orthodoxorum convocavit Imperator Synodum, in qua damnati sunt, qui adumbratam tantum & superficialiam Filio cum Patre similitudinem tribuerent, & edita formula, in qua profitebantur Episcopi, unam eandemque substantiam Patris, ac Filii, & Spiritus sancti in tribus esse personis, hoc est, in tribus perfectis subsistentiis. Huic autem definitioni occasionem dedit rumor, qui in regionibus illis de Omœusianis Orientalibus percrebuerat, videlicet quod Spiritum sanctum à Patre & Filio separarent, negando Spiritum sanctum unam habere cum Patre & Filio essentiam & divinitatem.

Eustathius autem, cum pro se & suis Synodi communionem peteret, & interrogatus, quid Orientales, à quibus missus fuerat, de Trinitate & Spiritu sancto sentirent, respondisset, eos Trinitatem consubstantiali

Simonet Theol. Tom. I.

profiteri; Episcopi tamen communionem petitam non concesserunt, sed concedendam suspenderunt, donec per Elpidium certiores fierent, rem, uti testatus erat Eustathius, ita se habere. Orientales igitur Omœusianos, saltem plurimos, contra Spiritum sanctum blasphemare, publicus rumor uique in Occidentem pervaserat, quem rumorem verum esse ostendit eventus: Illyricianos enim cum Orientalibus Omœusianis communionem postmodum iniisse, non comperimus.

Plurimos igitur ex Omœusianis facillè concedimus Macedonio adhæsisse, & cum illo prolapsos in hæresim & Semi-arianismum, dicendo de Spiritu sancto, quod non solum de Spiritu sancto, sed etiam de Filio dicebant Ariani. At simul observamus, alios non fuisse Semi-arianos, præter Macedonios, quod etiam observavit Philastrius, & post eum S. Augustinus; atque demonstratur ex can. 1. Concilii Constantinopolitani I. ubi dicitur: Oportet anathematizari omnem hæresim, specialiter autem Eunomianorum, sive Anomæorum, & Arianorum, sive Eudoxianorum, & Semi-arianorum, sive Pneumatomachorum, id est, qui contra Spiritum sanctum pugnant.

ARTICULUS XI.

Utrum Ariminensis Synodi Episcopi, post Legatorum suorum prævaricationem, lapsi sint in hæresim.

RESPONSIO.

Ariminensis Synodi Patres, etiam post Legatorum suorum prævaricationem, non possunt sine iniuncta calumnia dici in hæresim incidisse, & in Arianismum consensisse.

Prob. Nam si Ariminenses, post Legatorum suorum prævaricationem, in hæresim inciderunt, vel subscribendo Nicensem formulam, vel supprimendo usque vocabulum, vel denique communicando cum Arianis Episcopis. Nihil horum dici potest. Non primum, Ut enim dicantur in hæresim incidisse, Nicensem formulam subscribendo, saltem requiritur, ut aut hæc formula sit hæretica in sensu proprio & obvio verborum, quibus conscripta est; aut hæc formulam in sensum alienum & pravam detortam subscriperint ex affectu hæresis. At 1. falsum est, quod Nicensis formula sit hæretica in sensu proprio & obvio verborum, quibus conscripta est; imò è contra in sensu proprio & obvio verborum accepta, planè catholica est, & catholicum de Verbi divinitate dogma exprimit.

Nicensis formulæ, quantum attinet ad Verbi divinitatem, hic tenor est: Credimus in unigenitum Dei Filium, qui ante omnia secula, & ante omne principium natus est ex Deo; natum unigenitum solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem genitori suo Patri secundum Scripturas; cujus nativitatem nullus novit, nisi qui solus cum genuit Pater. Certè in hac professione, si verba in propria & obvia significatione accipiantur, nihil non planè orthodoxum est. Numquid hic insertum est, inquit S. Hieronymus, Erat tempus, quando non erat? vel, De nullis extantibus, creatura est Filius Dei? Perfecta fides est, Deum de Deo credere. Et natum aiebant unigenitum solum ex solo Patre. Quid est natum? Certè non factum. Nativitas suspicionem auferebat creature.

Nicensis formula confitetur Filium ante omnia secula & ante omne principium natum esse ex Deo. At Filium natum esse ex Deo ante omnia secula, & ante omne principium, in sensu proprio & obvio, ut patet ex aliis formulis Catholicis, idem est, ac Filium natum esse ex Deo ab æterno. Confitetur Filium esse Deum ex Deo. At Filium esse Deum ex Deo, in sensu proprio & obvio, idem est, seclusis imperfectionibus, ac hominem esse ex homine. Hominem autem esse ex homine, est hominem gigni de propria substantia hominis generantis. Filium igitur esse Deum ex Deo, in sensu proprio & obvio, est, Filium esse Deum genitum de propria substantia Dei genitoris, seclusis imperfectionibus, quæ reperiuntur in generationibus re-

P 4 rum

Epist. Valer.

Apud Theod. I. 4. lib. 4. c. 8.

Epist. Synod. Conc. Illyr. apud Theod. lib. 4. c. 9.

Dial. Contre Lucif.

rum corporearum. Confitetur productionem Filii esse nativitatem. Nativitas autem, in sensu proprio sumpta, opponitur creationi in sensu proprio sumptæ: creatio enim, accepta in proprio sensu, est productio rei ex nihilo tam subiecti quam sui: nativitas verò, accepta in proprio sensu, est processio suppositi viventis à vivente supposito, ipsum de propria substantia producente. Confitetur Patrem esse genitorem Filii: ægenitor in sensu proprio differt à creatore in sensu proprio: Pater enim, ut loquar cum Ancyana Synodo, creator est sola potestate; genitor verò potestate simul & substantia: creator est, res creatas per omnipotentiam suam à non esse ad esse traducendo; genitor verò, substantiam suam communicando, seu transfundendo, non quidem ex parte, sed totam, sic tamen, ut totam sibi retineat. Confitetur Filium Patri similem secundum Scripturas. At secundum Scripturas, in proprio & germano sensu sumptas, Filius habet veram & intimam cum Patre similitudinem in essentia, ac proinde & in essentia unitatem, æqualitatem, & identitatem. Quid plura? Formula Nicensis, in proprio & obvio sensu sumpta, confitetur Filium esse de substantia Patris, adeoque æquivalenter, & quoad sensum confitetur Filium Patri consubstantiali. Est igitur in sensu proprio & obvio verborum, quibus conscripta est, planè catholica, & catholicum de Verbi divinitate dogma exprimit.

2. Falsum est, quòd Ariminenses Nicensem formulam, in alienum & prævum sensum detortam, subscriserint ex affectu hæresis: ut probatur ex iis, quæ Arimini gesta sunt, antequam Legati ad Imperatorem destinarentur; ex iis quæ gesta sunt ibidem, postquam Legati prævaricati essent in Thracia, & acta à Synodo contra id, quod in mandatis acceperant, rescidissent; denique ex iis, quæ post Synodi dissolutionem contigerunt.

Cum Ursacius & Valens Ariminum venissent, secundum deferentes tertiam Sirmiensem formulam, eamque in Episcoporum conventu recitassent, iussi sunt à Synodo, ut primum omnium Arianam hæresim damnaverent, quod facere renuerunt. Synodus, cognita eorum nequitia, una omnium voce illos excommunicavit, & abdicavit: Nicænum Concilium approbavit, & ad omnia sufficere pronuntiavit. In Synodali ad Constantinum Epistola loquentes de Nicæna fide hæc scribunt: *Post longam deliberationem optima visæ est ea fides, quæ hactenus usque à præfatis temporibus perduravit, quam & Propheta, & Evangelia, & Apostoli per Dominum nostrum Jesum Christum prædicaverunt. Statutum igitur, ut eam retinentes coleremus, & colentes usque ad finem conservaremus, &c.*

Legatis prævaricatoribus ad Synodum reversis, Nicensis formula non est à Patribus conscripta, nisi postquam ab omnibus, etiam ab ipso Valente, publicè in templo plurimis anathematismis Ariana hæresis confixa est, ut hoc pacto omnis suspicio fraudis in expositione fidei conscribenda adhibere tolleretur. Rem sic narrat S. Hieronymus, ex actis ipsiusmet Synodi: *Cum fraudem fuisse in expositione rumor populi ventilet, Valens qui eam conscripserat, præsentem Taurò, Prætorii Præfecto, qui ex iussu Regis Synodo aderat, professus est se Arianum non esse, & penitus ab eorum blasphemias abhorre. Res secretè gesta opinionem vulgi non extinxerat: itaque alia die in Ecclesia, quæ est apud Ariminum, & Episcoporum simul & Laicorum turbis concurrentibus, Musonius Episcopus Provincia Byzantina, cui propter ætatem prima ab omnibus deferrebatur, ita locutus est: Ea, quæ sunt iactata per publicum, & ad nos usque perlata, aliquem e nobis Sanctitati vestræ legere precipimus; ut quæ sunt mala, & ab auribus & à corde nostro abhorreere debent, omnium una voce damnentur. Responsum est ab universis Episcopis: Placet.*

Itaque cum Claudius, Episcopus Provincia Picenæ, ex præcepto omnium blasphemias, quæ Valentis ferebantur, legere cepisset; Valens suas esse negans, exclamavit, & dixit: *Si quis negat Christum, Deum, Dei Filium, ante secula ex Patre genitum, si quis negat Filium similem Patri secundum Scripturas, si quis Filium Dei non*

dixerit æternum cum Patre si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut sunt cetera creature si quis dixerit de nullis extantibus Filium, & non de Deo Patre si quis dixerit, Erat tempus, quando non erat Filius, anathema sit. Omnes pariter conclamarunt ad singulos anathematismos: Anathema sit, & cuncti Episcopi, & tota simul Ecclesia plausu quodam & tripudio, Valentis vocem exceperunt....

Cum ergo cuncti Valentem ad cælum laudibus tollerent, & suam in eum suspicionem cum penitentia damnaverent; idem Claudius, qui supra legere ceperat, ait: *Adhuc sunt aliqua, quæ subterfugerunt Dominum, & Fratrem meum Valentem; quæ, si vobis videtur, ne qui scrupulus remaneat, in commune damnemus. Si quis dixerit Filium Dei esse quidem ante omnia secula, sed non ante omnino tempus, etiam imaginarij, ut aliquid anteferat, anathema sit.* Dixerunt cuncti: *Anathema sit.* Multaque alia, quæ suspiciosa videbantur, ad pronuntiationem Claudii Valens condemnavit.... His ita gestis, subscrispta formula, Concilium solvitur, & aliquantò post læti omnes ad Provincias revertuntur. Idem enim Regi & bonis omnibus cyre fuerat, ut Oriens atque Occidens communionis vinculo necterentur.

Dissoluta Synodo, & omnibus Episcopis ad suas Ecclesias reversis, ceperunt Valens & Ursacius, ceterique nequitia eorum socii, egregij videlicet Christi Sacerdotes, palmas suas iactare, dicentes se Filium non creaturam negasse, sed similem aliis creaturis, & usque nomen abolitum tandem esse, atque Nicænæ fidei damnationem ab Oriente pariter & Occidente, generali Episcoporum conjuratione, conclusam gloriantes; sic ut ingemisceret totus orbis, seque, quamvis nihil tale suspicantem, imò & ab Ariana impietate abhorrentem, quasi Arianum occulta quadam incantatione factum, miraretur. Sed quid, cum ita triumphum agerent Ariani pro more hæreticorum, qui superiores se ac victores mentiuntur, vel tunc maximè cum victi prostratique sunt; quid, inquam, tunc fecere, qui Arimini adfuerant, & Nicensem formulam subscrisperant? Num victoriam cecinerunt cum Arianis; quod certè facere debuerunt, si formulam illam, in Arianum sensum detortam, ex affectu hæresis subscrisperant? Num igitur triumpharunt cum Arianis, & cum illis Nicænæ fidei proscriptionem conclamarunt? Minimè verò.

Audiamus Hieronymum narrantem quid tunc egerint. *Concurrerant, inquit, Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia hæretici ferebantur, contestantes Corpus Domini, & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide (hoc est, in Nicensi formula) suspicatos. Putavimus, aiebant, sensum congruere cum verbis: nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labijs proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare. Multaque alia, quæ brevitatibus studio prætereo, fientes aserebant, parati & subscriptionem pristinam, & omnes Arianorum blasphemias condemnare.*

Quod eos præstitisse, egregie testatur Liberius Papa in sua ad Omneiusianos epistola. *Cum omnes, inquit, Occidentalium partium Episcopi Ariminum convenissent, quò illos Arianorum improbitas convocaverat ex consilio, ut blanda persuasionem, seu, quod verius est, secularis potentia autoritate coacti, id quod in fide (Nicænæ) cautissime positum fuerat (nempe Filium Patri consubstantiali esse) tollerent, aut oblique negarent; nihil profecit illorum versutia: etenim omnes propemodum illi, qui tunc apud Ariminum collecti, partim illecebris, partim dolo decepti fuerant, & in ipsæ suppressionem consenserant, nunc ad sanam mentem reversi, formulam fidei, ab Ariminensi Concilio editam, vel potius susceperant, & ob usque abolitionem anathemate dignam, anathemate damnaverunt, & catholica atque apostolica fidei, olim apud Nicæam promulgatæ, quam saltem oblique rejecisse vis fuerant, subscrisperunt, & nobiscum inita communionem.* (nam

Athan. I de
Syn.

Apud Athan.
lin. de Syn.

Dial. contra
Lucif.

Ibidem.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Apud Socr. l.
quint. c. 11.

(nam proscripto *usue* vocabulo, cum Liberio & aliis Omoianis communicare non poterant amplius in *omousii* professione, atque ita aliquo pacto se ipsi præcederant) *adversus Arianam doctrinam, ejusque discipulos graviore indignatione commoventur*. Dicit autem eos ad sanam mentem revertis, non quia ab hæresi ad fidem, sed quia ab *usue* vocabuli suppressione, ad ejus professionem revocati sunt.

Porro quod in genere ostensum est de iis, qui Arimini fuerunt & subscripserunt, hoc est, quis fuerit eorum sensus post Synodi dissolutionem, idem in particulari demonstrari potest de Episcopis Gallicanis, ex eorum ad Orientales Episcopos & Parisiensi Synodo scripta epistola. In ea enim ingenuè consentitur simplicitatem suam in formula subscribenda, & supprimendo *usue* vocabulo, fraudem passam esse, qua confessione retractant, quidquid à se Arimini perperam gestum est. Excommunicant secundos Ariminenes Synodi Legatos, quod cum Acacianis communionem inierint; Arianorum blasphemias, quas Litteris suis subjecerant Orientales, damnant, *pollicentes coram Deo, ut quisque his, quæ contra Anianam impietatem statuerunt, intra Gallias putaverit renitendum, à communione ac sede sit sacerdotii abjiciendus*.

Proferuntur etiam *usue* vocabulum, ab Orientalibus contra Ariomanitarum hæresim inventum, à se semper sanctè fideliterque susceptum esse; amplecti se *homousion*, tanquam aptissimum ad veram & legitimam ex Deo Patre unigeniti Dei nativitatem significandam, detestantes personarum confusionem; Neque aliquam partem Patris esse Filium intelligentes, sed ex toto atque perfectò innascibili Deo totum atque perfectum unigenitum Deum natum, unius à se idcirco vel *usue*, vel substantia cum Deo Patre confectum: similitudinem quoque ejus ad Deum Patrem non invita audientes, (quippe cum imago invisibilis Dei sit) sed eam solam similitudinem dignam ad Patrem intelligentes, quæ veri Dei sit ad verum Deum, Quibus postremis verbis declarant, quid Arimini per illud, similem Patri secundum Scripturas, intellexerint, & post Ariminensem Synodum intelligant.

Ex dictis autem hæcenus clarum est Patres Ariminenes, ante & post dissolutionem Synodi, ab Ariana impietate maximè abhoruisse, adeoque alienissimos fuisse à Nicensi formula, in Arianum sensum deorta, ex hujus hæresis affectu subscribenda; quin imò, cum hæc formula, ut probatum est, in sensu proprio & obvio verborum catholica sit, & dogma catholicum exprimat, atque ita animo verè catholico subscribi potuerit, eam alio animo subscripsisse Patres Ariminenes dici, non patiuntur ea, quæ de eorum tum ante tum post Synodi dissolutionem sensu hæcenus relata & probata sunt. Non possunt igitur dici Patres Ariminenes, subscribendo Nicensem formulam, in hæresim incidisse. Quod erat primum.

Secundum etiam dici non potest, nempe quod Patres Ariminenes in hæresim inciderint, supprimendo *usue* vocabulum. Nemo enim hæreticus esse potest ex eo quod vocabula repudiet, nisi etiam, repudiando vocabula, pertinaciter & contra auctoritatem Ecclesiæ repudiet sensum catholicum vocabulis illis expressum: nam hæreticus ille omnis & solus dicitur, & est, qui dogma catholicum, unum aut multiplex, fidelibus ad credendum ab Ecclesia propositum, contra auctoritatem Ecclesiæ rejicit. Dogmata autem non in vocabulis, sed in rebus per vocabula expressis, consistunt. Atqui Patres Ariminenes *usue* vocabulum expressè, adeoque & *homousii* pariter & *homousii* vocabula tacitè rejiciendo, etiam sensum ab Orthodoxis per illa expressum, sive expressè, sive tacitè tantum rejecisse, dici nullatenus possunt. Ergo, &c.

Prob. min. Nam 1. sicut dici non possunt subscripsisse formulam ex affectu hæresis; ita nec dici possunt ex affectu hæresis, *usue* vocabulum repudiassè. At si non possunt dici, *usue* vocabulum repudiassè ex affectu hæresis, profectò dici non possunt, illud repudiando, sensum quoque catholicum illius repudiassè. 2. Non repudiaverunt sensum illum, quem prius

posuerunt in tuto, quàm repudiarent vocabulum, quo solebat ab Orthodoxis exprimi. Atqui prius posuerunt in tuto sensum illum, quem Orthodoxi solebant exprimere per *usue* vocabulum, quàm hoc vocabulum repudiarent: prius quàm enim repudiarent hoc vocabulum, professi sunt se credere Filium Deum de Deo, Filium ante omnia sæcula & ante omne principium natum ex Deo, Filium genitori suo similem secundum Scripturas, hoc est, ut postea non pauci ex illis in Synodo Parisiensi interpretati sunt, similem ea similitudine, quæ sit veri Dei ad verum Deum. Hæc autem dicere, & quidem, ut supponitur, in sensu proprio & obvio verborum, uti dicebant Ariminenes, quid aliud est, quàm dicere Filium non esse de non extrantibus, sed de substantia Dei Patris; unam & eandem esse substantiam Patris & Filii; Filium cum Patre in substantia indifferentiam, unitatem, aequalitatem, & identitatem habere: quæ ut exprimerent Orthodoxi, *usue*, *homousii* & *homousii* vocabula adhibebant? Ergo, &c.

3. Non repudiaverunt *usue* vocabulum, ut Filius creatura impunè dici posset; ne Filius verè & propriè diceretur Deus de Deo; ne Filius diceretur verè & propriè natus ex Patre, seu verus ac genuinus Patris fœtus; ne Filius diceretur verè & intimè Patri similis, adeoque & æqualis, ac unum cum illo in deitate; sed ejusdem æconomiae causa, quia scilicet non inveniebatur in Scripturis, & multos simplicioris ingenii novitate sua offendere videbatur. Hæc omnia suggerit S. Hieronymus; *De usue vero nomine abjiciendo*, inquit, *verisimilis ratio prebatur. Quia in Scripturis, asebant, non invenitur, & multos simpliciores novitate sua scandalizat, placuit auferri. Non erat cura Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto*. Supplendum, Et posset multis aliis modis exprimi, dicendo ver. gr. Filium esse Deum de Deo; esse genitum, non factum; esse natum ex Deo Patre; esse genuinum Patris fœtum; esse Patri similem per omnia, & absque omni differentia; esse unum & idem in deitate cum Patre; esse Patri majestatem, potentiam, virtutem, gloriam, & divinitatem parem, &c. Hæc enim omnia, & alia similia, Consubstantiali æquivalent, & cum eo convertuntur.

Patres igitur Ariminenes, cum animadverterent *usue* vocabulum necessarium non esse ad exprimendum dogma Catholicum, quod multis aliis modis sufficienter exprimi poterat; cum viderent illud dogma in professione fidei, ab Ursacio & Valente eorumque locis oblata, sufficienter expressum, & sic in tuto positum; cum jam ex orthodoxis Episcopis præcipui exularent, & ipsi propediem exulaturi essent, ni Imperatoris voluntati obsequerentur; & quod maximi apud illos jure merito poterat esse momenti & ponderis, cum ab Orientalibus, Seleuciæ congregatis, *usue* nomen, cujus tamen inventores fuerant, abolitum esse crederent, in ejusdem nominis silentium tandem consenserunt per quandam æconomiam, ut, quod illis videbatur optimum, *Oriens atque Occidens communionis sibi vinculo necterentur*, & ne oves, veris pastoribus orbatæ, lupis dilaniandæ objicerentur; hoc est, ne orthodoxis Episcopis ferè omnibus in exilium deportatis, Episcopi Ariani in Ecclesiis ferè omnes intruderentur, & totius ferè orbis Christiani fides in extremum periculum præcipitaretur. Itaque dici non potest Patres Arimini congregatos, in hæresim incidisse per abolitionem nominis *usue*; quod erat secundum.

Tertium denique dici non potest, nempe quod in hæresim inciderint, cum Ariani Episcopis communionem ineundo, & cum eis communem fidei professionem subscribendo. Nam 1. hæc fidei professio, ut probatum est, in proprio & obvio sensu verborum, quibus conscripta est, accepta, veram & propriè dictam Filio divinitatem attribuit, eumque, velint nolint Ariani, non quidem formaliter, sed æquivalenter dicit Patri consubstantialem; cum eum dicat Deum de Deo, & natum ex Patre, & Patri

Patri similem secundum Scripturas. Secundum autem Scripturas Filius Patri similis est per omnia, & absque omni omnino dissimilitudine. Secundum Scripturas Filius Patri similis est, tanquam verus Filius vero Patri. Secundum Scripturas Filius Patri similis est ea similitudine, vi cuius unum est cum Patre; vi cuius in forma Dei est, nec rapinam arbitratum esse se aequalem Deo; vi cuius est splendor gloriae Patris, & figura substantiae ejus, non extrema & superficialia, sed intima & solida; vi cuius est imago Dei invisibilis, omnes ejus perfectiones in se complectens, & in qua per identitatem omnis plenitudo divinitatis inhabitat. Uno verbo, secundum Scripturas Filius Patri similis est ea similitudine, quae veri Dei est ad verum Deum.

2. Ille nequidem praesumptive haereticus est, qui cum haereticis non communicat, nisi quia ad id dolo, vel vi inducitur: talis enim non nisi injuria praesumeretur communicare cum haereticis ex affectu haereseos. Atqui Patres Ariminenses non communicant cum Arianis, nisi quia ad id partim vi, partim fraude inducti sunt. Nam à Constantio Arimini per vim detenti, donec communicarent, & Valentis, Ursacii, aliorumque ejusdem factionis hominum mendaciis & hypocrisis decepti, communicant. Ergo, &c.

3. Illi in haereseos incidisse dici non possunt propter communionem cum haereticis initam, qui communionem cum haereticis non inierunt, nisi postquam haeretici errores suos anathematizarunt. Atqui Patres Ariminenses non inierunt communionem cum Episcopis Arianis, nisi postquam hi non solum privatim, sed etiam publice in frequentissimo Episcoporum, aliorumque clericorum & laicorum conventu anathematizarunt Arii blasphemias, anathematizando eos, qui negarent Christum, Deum, ante saecula ex Patre genitum, qui negarent Filium Patri coeternum; & eos, qui dicerent, Erat tempus, quando non erat Filius; qui dicerent, de non exstantibus Filium, & non de Deo Patre. Ergo, &c.

At inquit. Ariani non loquebantur sincere, aliud in mente gerebant, & aliud in ore, vel potius omnia verba sua ad sensum alienum & improprium detorquebant: unde errores suos non nisi specie tenuis damnabant. Ita est. Sed Ariminenses putabant eos sincere loqui; putabant eos idem in mente gerere, quod in ore: Putabant sensum congruere cum verbis: nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timerunt. Decepit eos bona de malis existimatio. Non sunt arbitrati sacerdotes Christi adversus Christum pugnare, tunc praesertim cum se pugnare pro Christo, palam profitebantur. Putarunt agitur illos aut nunquam Arianæ impietati adhaesisse, aut certe tandem ab ea recessisse. Haereticum autem quis jure dicit, vel suspicabitur eum, qui communionem suam impertit haeretico, sed quem aut talem nunquam fuisse, aut certe errores suos deposuisse, bona fide existimat? Ergo Ariminenses, propter initam cum Arianis Episcopis communionem, dici non possunt in haereseos incidisse. Quod erat tertium.

Hinc Luciferiano, reprehendenti Confessores Episcopos, Athanasium scilicet, Hilarium, & Eusebium Vercellensem, quod in communionem suam recepissent Ariminenses, respondet S. Hieronymus: Cur damnaissent eos, qui Ariani non erant? Cur Ecclesiam scinderent in concordia fidei permanentem? Cur denique credentes bene, obstinatione sua facerent Arianos? Juxta Hieronymum, Episcopi Confessores, excludendo Ariminenses, etiam poenitentes, à communionem suam, damnaissent eos, qui non erant Ariani; Episcopos bene credentes, in desperationem adductos, in haereseos obstinatione sua praecipitasset; & quod pejus est, separando se ab Ariminensibus, unitatem Ecclesiae scidissent, hoc est, ipsimet schisma fecissent. Quo nihil luculentius dici potuit pro orthodoxia Patrum Ariminensium asserenda: ne-

mo enim schisma facit, communionem suam haereticis denegando; nec scindit unitatem Ecclesiae, qui separat se ab iis, qui non sunt de Ecclesiae unitate. Juxta Hieronymum inquit, Ariminenses, post Nicensem formulam subscriptam, & abolutum usque nomen, erant de unitate Ecclesiae, erant vera Ecclesiae membra, quia veram de Verbi divinitatem fidem tenebant, nec contra Nicenam Synodum rebellare, aut ullatenus ei praedjudicare intenderant; & qui se ab eis separasset, separasset se à veris Ecclesiae membris, atque ita schisma fecisset in Ecclesia.

Hinc, mortuo Constantio, & Episcopis exulibus à Juliano ejus successore ab exilio revocatis, in Alexandrina Synodo primum, deinde in aliis, celebratis in Graecia, Hispania, & Gallia, tum à Liberio summo Pontifice decretum est, ut, exceptis Valente, Ursacio, & aliis eorum nequitiae sociis, omnes qui Arimini subscriperent, in communionem Ecclesiae permanerent, & locum suum in clero retinerent, modo damnarent formulam Ariminensem, ex qua scilicet parte contraria erat Nicenae fidei, hoc est, qua imperabat usque, & consequenter omousii silentium, atque ipsam fidem Nicenam subscriberent. Quod libentissime, paucis exceptis Illyricianis, praestiterunt omnes absque mora, majorique, quam antea, Arianæ impietatis odio flagrant.

Habentur haec ex Epist. Liberii ad Episcopos Italiae apud Hilar. frag. 12. Ex epist. ejusdem ad Orientales Omecensianos apud Socr. lib. 4. cap. 12. Ex ep. Synodi Parisiensis apud Hilar. frag. 11. Ex epist. Romanæ Synodi sub Damaso ad Episcopos Illyrici apud Theod. lib. 2. histor. cap. 22. Ex epist. Athanasii ad Rufinianum, ubi dicit, Synodos omnes, in causa Ariminensium celebratas, idem sensisse, iis nempe, qui Arimini cecidissent, veniam, etsi impiorum se dices praebuisse, usque vocabulum proferendo, modo eos poeniteat, ea scilicet quae contra usque & omousii vocabula statuerant, retractando, nec per vim aut necessitatem deus, largiendam esse, & restituendum in clero locum, à quo non exciderant per haereseos, sed per suppressionem vocabulorum universalis Ecclesiae decreto consecratorum, excidisse videri poterant; idque praecipue quod à fide non remotam sui defensionem edidissent, qua scilicet protestati erant, se Nicenae fidei nullatenus praedjudicare voluisse, idque quod gestum erat, aconomia quadam factum esse videretur. Se enim ad impietatem nunquam transisse; sed ne impiorum quorundam furor Ecclesias perderet, vim potius sequi, & id oneris ferre, quam populum perire, maluisse dicebant.

Sed praestat adhuc audire hac de re S. Hieronymum. Post reditum, inquit, Confessorum, in Alexandrina postea Synodo constitutum est, ut, exceptis authoribus haereseos, quos error excusare non poterat, poenitentes Ecclesiae sociarentur; non quod Episcopi possent esse, qui haeretici fuerant, sed quod constaret, eos, qui reciperentur, haereticos non fuisse. Assensus est huic sententia Occidens, & per tam necessarium Concilium Satanae faucibus mundus ereptus est, non praecisus ab Ecclesiae communione Episcopis, qui Arimini ceciderant magno numero. Juxta Hieronymum, si Ariminenses haereseos professi essent, non potuissent postea, etiam acta poenitentia, episcopalem in Ecclesia gradum retinere; sed quia constabat eos non esse professos haereseos, seu formulam Nicensem subscripsisse, & usque nomen abolevisse, non ex affectu haereseos, quam è contra publice detestati sunt, sed alias ob causas, prudenter Alexandria primum, deinde in toto Occidente constitutum est, ut in gradu suo manerent, iis, quae Arimini gesta fuerant, retractatis. A qua indulgentia exclusi sunt Valens, Ursacius, & alii eorum nequitiae focii, quia constabat illos non ex ignorantia deliquisse, sed omnia scienter fecisse, & molitos esse ad obliterandam Nicenae fidei memoriam, & Arianam haereseos confirmandam.

Obj. 1. S. Ambrosium in cap. 6. Luc. ubi interpretans verba illa: *Va vobis cum benedixerint vobis omnes*

Damasii epist.
ad Illyr.

Dial. contra
Lucii.

ibide

omnes homines: secundum hac enim faciebant Pseudoprophetae Patres eorum; subiicit: Nonne tibi videtur his dicere, qui dudum in Ariminensi Concilio perfide pravaricationis auctores, dum Imperatoris gratiam sequuntur, Dei gratiam perdidit? qui cum placere potentibus aucupantur, maledicto se perpetuo subdidit. Resp. Hac verba Ambrosii intelligenda esse de Valente, Ursacio, & aliis ejusdem factionis Episcopis, qui re vera in Ariminensi Synodo perfide pravaricationis fuerunt auctores, mendaciis suis & hypocrisis sua orthodoxos, qui per vim Arimini ab Imperatore ex eorum consilio detinebantur, inducendo ad abolendum *usue* vocabulum; alioquin Ambrosii verba intolerabilem falsitatem continerent: cum ex monumentis supra relatis constet, omnes, paucis exceptis, Episcopos, qui Arimini subscriperant, ea, quae perperam gesta fuerant, sincere paulo post retraxisse, Nicenae fidei subscripsisse, & Verbi cum Patre consubstantialitatem professos esse; nec Nicenensi formulæ subscribendo, Imperatoris gratiam secutos esse, aut potentibus placere aucupatos; sed Ecclesiae pacem procurare, & sese ab injustissima vexatione liberare voluisse.

Dices. Saltem secundum Ambrosium, Ariminen- ses perfide pravaricati sunt. Resp. Perfide pravaricato esse, non quia iis, quae in Nicenensi formula de Filio dicebantur, subscriperunt; erant enim in proprio & obvio verborum sensu planè catholica; sed quia abstulerunt *usue* nomen, & auferendo hoc nomen, consequenter abstulerunt *omousii* vocabulum, ad exprimendum dogma catholicum ab æcumenica Synodo consecratum, & ab universa Ecclesia receptum, quod proinde postea licite auferri potuit ad summum à Synodo, quae pariter esset auctoritatis, hoc est, ab alia Synodo æcumenica, qualem non fuit Synodus Ariminensis, quae tantum particularis fuit, quæque proinde non potuit absque perfidia aliqua sub ullo pretextu decernere abolitionem nominis *usue*.

Ex his facilis est responsio ad id quod Augustinus dicit epistol. 30. de Ecclesiæ erga Ariminenes indulgentia; scilicet, hoc displicuisse Lucifero, quia falsum est in suscipiendis atque sanandis, qui veneno perierant Ariano, Ariminenes igitur veneno Ariano perierant, non quod Arianum dogma amplexi & professi essent, sed quod malis Arianorum artibus induci, in perfidiam quandam pravaricationem incidissent, proscribendo *usue* nomen, & cum *usue* nomine *omousii* vocabulum, quo semel proscripto, non liceret amplius Filium Patri *omousion*, seu consubstantialem dicere; dicere, inquam, expressis verbis, sed æquivalentibus tantum. Quod erat contra universalis Synodi decretum, cui abique perfidia derogare non potuit Synodus particularis. Unde Ariminenes quodlibet potius pati debuissent, quam *usue* vocabulum auferre.

Obj. 2. Facundum Hermianensem lib. 5. c. 3. ubi ait orthodoxos Episcopos apud Ariminum in Arianum dogma fuisse subactos, opprimente Constantio. Et inferius: In Ariminensi Concilio multos Ariano dogmati conniventes, tres diversas ejusdem S. Trinitatis fuisse mentitos esse naturas. Resp. Falsum esse, quod Ariminenes subacti fuerint in Arianum dogma, & dixerint tres esse naturas diversas in S. Trinitate; & Facundum, qui sexto sæculo scripsit, proculdubio postponendum esse S. Athanasio, qui Ariminenfibus contemporaneus fuit; & S. Hieronymo, qui apud se Ariminenfem Synodi acta habuit, nec ab illa aded remota fuit: eodem enim illo sæculo florebat.

Obj. 3. S. Hieronymum in dialogo contra Luciferianos, ubi loquens de iis, quae Arimini gesta sunt, hac habet: Tunc *usue* nomen ablitum est: tunc Nicenae fidei damnatio conclamata est. Ingenuis totus orbis, & se esse Arianum miratus est. Resp. 1. Juxta Hieronymum, *usue* vocabulum ablitum non est ab Ariminenfibus, nisi postquam sensum, & dogma catholicum in tuto collocatum existimarent; argue

ita, juxta Hieronymum, *usue* vocabulum ablitum est ab Ariminenfibus, non ex affectu hæresis stabilien- dæ, sed propter alias verisimiles rationes, quia scilicet non erat absolute necessarium ad exprimendum dogma catholicum; quia non reperiebatur in divinis Scripturis; quia dicebatur novitate sua scandalizare simpliciores; vel, ut notat S. Athanasius, propter æconomiam quandam, ne Arianorum furor Ecclesias perderet, & populus Christianus, Pastoribus suis orbatus, periret.

2. Juxta Hieronymum, Nicenae fidei damnatio conclamata non est ab Ariminenfibus Synodi Patri- bus, qui partim vi, partim fraude ad Nicenens formulæ subscriptionem, & *usue* nominis abolitionem inducti sunt: nam è contra, se nunquam ad Arianam impietatem transisse protestantur, ut refert S. Athanasius in epistola ad Ruffinianum; & Arimini subreptum sibi fuisse, idcirco quod non intellexissent id ad quod inducebantur, Patrum sententia apud Nicæam formata esse contrarium, ut testatur Damasus in Synodica ad Episcopos Illyrici epistola. Itaque juxta Hieronymum, Nicenae fidei damnatio conclamata est à Valente, Ursacio, & aliis eorum nequitiae sociis, Arianis Episcopis, qui cum Arimini, tum privatim, tum publicè, se Catholicos esse, & ab Arii blasphemis abhorreere mentiri essent impudenter, impudenter postea mentiebantur ubique terrarum, orthodoxos Episcopos Arimini congregatos, hæresis suae subscripsisse, & ad Nicenam fidem abolendam, *usue* nomen abolevisse.

3. Juxta Hieronymum, Arianis triumphantibus, & ubique Nicenae fidei damnationem conclamantibus, ingemuit totus orbis. Ergo, juxta Hieronymum, totus orbis Catholicus erat, non Arianus, non Ariano dogmati addictus: nam si tunc Arianus fuisset, profectò non ingemisset, sed cum Arianis triumphasset, & cum Arianis Nicenae fidei damnationem conclamasset. Juxta Hieronymum igitur, totus orbis miratus est, se, nihil tale evenire potuisse suspicantem, factum esse Arianum, non quidem sententia & dogmate, sed communione, qua se Ariminenfes bona quamvis fide contaminaverant, & *usue* ac *omousii* vocabulorum proscriptione, qua se per Ariminenfes veluti obligatum videbat, ne deinceps cum Nicenis Patribus Filium Patri *omousion* seu consubstantialem diceret.

Dices. Imò verò juxta Hieronymum, totus orbis ingemuit, & se esse Arianum miratus est, quia tunc omnes Episcopi in Arianam impietatem consenserant, paucis exceptis, ut Athanasio, Eusebio Vercellensi, Hilario, & Lucifero Calaritano. Resp. Hoc esse falsum. Nam 1. juxta Hieronymum, nequidem ipsi Ariminenfes in hæresim prolapsi sunt. 2. Juxta eundem Hieronymum, & Athanasium, superfuere Episcopos, ab Ariminenfibus pravaricatione puri, quot sufficiebant ad celebrandas in causa Ariminenfium Synodos in Ægypto, Græcia, Hispania, & Gallia. 3. Liberius neque per se, cum Arimino abesset, neque per Legatos suos, qui aut non adfuerunt, aut ante subscriptionem fuga, Deo ita providente, elapsi sunt, quæ Arimini perperam gesta sunt, autoritate sua confirmavit. Neque enim, inquit Damasus in synodica ad Episcopos Illyrici epistola, præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt: cum constet neque Romanum Episcopum (Liberium) cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vincentium, qui tot annos Sacerdotium illibate servavit, neque alios hujusmodi (nomine Liberii) statutis consensum aliquem commodasse. 4. Quòd etiam præter Liberium in Italia fuerint Episcopi non pauci, qui Arimini lapsi non sunt, colligitur ex Liberii epistola ad Episcopos Italæ.

Denique Ariminenfium circa Verbi divinitatem orthodoxie luculentum habemus testimonium in epistola, quam ad Jovianum Imperatorem ex Alexandrina Synodo scripsit S. Athanasius anno 363. & in qua de Nicenae fide sic loquitur: Scias igitur, Religio-
sissimi.

Apud Theod. 1. 1. hist. c. 22.

Apud Theod. 1. 1. hist. c. 22.

Apud Hilar. frag. 12.

ligiosissime Auguste, hanc esse fidem, qua à seculo prædicata est, & quam confessi sunt Patres Niceæ congregati; in quam denique consentiunt omnes ubique terrarum Ecclesia, quæ sunt in Hispania, & in Britannia, & Galliis; quæ sunt per universam Italiam & Campaniam; quæ sunt in Dalmatia, Dacia, Macedonia, & universa Achaia; item quæ sunt per universam Egyptum & Lybiam; quæ sunt in Ponto & Cappadocia, & vicinis regionibus; omnes denique per Orientem Ecclesia, paucis exceptis, quæ Arii opinionem sectantur. Horum enim omnium, quos commemoravimus, sententiam experimento ipso cognovimus, & litteras scriptas habemus. Ac licet pauci quidam huic fidei contradicant, scimus tamen, Religiosissime Auguste, eos orbi terrarum præjudicare non posse.

Teste S. Athanasio scribente anno 363. totus orbi terrarum tunc Nicænam fidem profitebatur, & ita tunc totus orbi terrarum Catholicus erat, & ab Ariana impietate alienissimus, exceptis paucis Ecclesiis & Episcopis, qui sectabantur opinionem Arii. Quomodo ergo verè dici potest omnes semè Episcopos Catholicos ad Arianam impietatem defecisse circa annum 360. præsertim cum Athanasius non loquatur de recenti & quasi hesternâ professione, sed de professione, quam partim experimento suo, partim per litteras, ad se undequaque datas, certò cognoverat, ad quod vix anni plures sufficere potuerunt? Diceretur totius ferè orbi Episcopi circa annum 360. subitanea mutatione ex Orthodoxis in Arianos, & rursum ex Arianis in Orthodoxos conversi esse? Sed tam prodigiosa in fide variatio & inconstantia per se incredibilis est; nullum aliud habet exemplum, nec ullo veteri monumento vel leviter iudicari potest. Denique, ex eo quod Athanasius dicit, habere se scriptas litteras, colligo Episcopos, qui Arimini fuerant, & quos ad castra sua transisse mentiebantur Ariani, ad Athanasium litteras dedisse, quibus eum certiorum facerent, se in fidei Nicænæ professione permanere: Orthodoxi enim omnes Athanasium ut fidei columnam reverebantur.

Ap. Hieron
in Dial. cont.
Eusebium.

Obj. 4. Valens, & cum eo Ariminenses omnes, Verbum creaturam esse, licet aliis creaturis dissimilem, pronunciarunt, cum anathemate contra eos, qui aliud dicerent. Nam in publico Episcoporum & Laicorum conventu Valens exclamavit: Si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut sunt cetera creatura, anathema sit. Et ab omnibus adstantibus similiter dictum est: Anathema sit. Resp. Valentis anathematismum duplicem habere posse sensum. 1. Si quis dixerit Filium esse creaturam similem aliis creaturis, anathema sit. Hic sensus Arianus est. 2. Si quis dixerit Filium ex nihilo productum esse, sicut ex nihilo producta sunt cetera omnia, quæ à Deo transeunt producta sunt, &c. Hic sensus Catholicus est. Ariminenses autem in secundo sensu anathematismum intellexerunt, ut manifestum est ex antecedentibus & consequentibus. Primum verò sensum habebat quidem in mente Valens, eumque intendebat, quia Arianus erat; at illum ipsemet excluderat per anteriores anathematismos, quibus damnavat eos, qui negarent Christum esse Deum, & Dei Filium, ante sæcula ex Patre genitum, atque Patri coeternum; & adhuc apertius exclusit subsequente anathematismo, quo damnavat eos qui dicerent, de nullis extantibus Filium, & non de Deo Patre, & in sensu verborum proprio & obvio considebatur Patrem de sua substantia genuisse Filium, adeoque unam esse Patris & Filii substantiam, atque Filium non creaturam, sed verum Deum esse. Valens igitur ipse sensum hæreticum, quem intendebat, exclusit à propositione sua, eamque determinavit ad sensum catholicum, in quo, ab Ariminensibus accepta est.

ARTICULUS XII.

De fide Liberii.

§. I.

Julio in Summo Pontificatu successit anno 352. Liberius, qui ubi primum in Petri Cathedra sedet, contra Eusebianos, & Nicænæ fidei, & Athanasii causam strenuè defendendam suscepit. Anno 353. ad Constantium, profigato & mortuo Maxentio, in Galliis tunc agentem, ut ab eo generalem, in qua primum Nicæna fides ab omnibus Episcopis subscriberetur, ac deinde retractaretur Athanasii causa, Synodum impetraret, legationem misit, cujus princeps erat Vincentius Capuanus, quem in Synodo, ex huius legationis occasione Arelate coacta, Constantius coegit cum multis aliis Episcopis ad subscribendum Athanasii damnationi.

Anno 354. Liberius ob Vincentii, fortassis & collegæ illius Marcelli, Campaniæ Episcopi, lapsum, duplici mærore affectus, & sibi moriendum magis pro Deo decernens, ne videretur novissimus Athanasii delator, aut Eusebianorum sententiis contra Evangelium commodare consensum, novam legationem ad Constantium destinavit, quam suscepere Lucifer Calaritanus Episcopus, Pancratius Presbyter, & Hilarius Diaconus Ecclesiæ Romanæ, qui ab Imperatore Synodum generalem impetrarunt, in annum sequentem convocandam Mediolanum.

Anno itaque 355. Mediolani celebrata est Synodus generalis, in qua à Constantio omnia tyrannicè gesta sunt, & exilio multati Legati Pontificii, unà cum Eusebio Vercellensi, & Dionysio Mediolanensi, eò quod Athanasium inauditum damnare, constanter renuissent. Exules Liberius consolatus est per litteras, in quibus sic loquitur: Vos, acceptissimi in Domino Sacerdotes, egregia & singularis fides & hic probabiles Dea ostendit, & jam ad futuram gloriam martyres designavit. Quo itaque præconio laudis, qua vocis exultatione merita virtutis vestre proferam, potius inter mærorem absentia vestra, & gaudium gloriæ, prorsus invenire non possum. Me adhuc in ipsa expectatione pendente, quod à consorcio vestro durior necessitas interim distrahit, satis contristor. Optaveram enim prior pro omnibus vobis impendi, ut exemplum gloriæ per me magis vestra dilectio consequeretur. Intellegatis dolere me satis, quod sim interim à consorcio vestro separatus. Et quia proximiores estis Deo effecti, vestris orationibus me vestrum sacerdotem famulum Dei ad Dominum subleuate. ut inviolata fide, salvo statu Ecclesiæ Catholice, parem vobis dignetur me Dominus efficere, &c.

Eusebiani animadvertentes Liberium Nicænæ fidei studiosissimum, Arianae sectæ infensum, in hoc unum incumbere, ut omnes ab amplectenda hæresi avocaret, hac de re monuerunt Imperatorem, qui ratus, Liberio in suam sententiam pertracto, ceteros omnes brevi superandos, Romam ad eum eodem anno 355. mittit Eusebium Eunuchum, cum litteris & donis, ut donis quidem blandiretur, litteris verò minas intentaret: Profectus igitur Romam Spado, primum incitabat Liberium, ut contra Athanasium subscriberet, & cum Arianis communicaret: id enim Imperatorem velle, & pro imperio jubere: deinde munera ostentans, verbis instabat, manumque Liberii apprehensa, ita locutus est: Obtempera Regi, & ista accipe.

Respondit Liberius se condemnare non posse Athanasium, quem non una, sed jam altera Synodus probè ab omni crimine liberum pronunciarat, & Romana Ecclesia cum pace dimiserat; nec se posse absentem averiari, quem præsentem dilexerat, & in sua communione habuerat; nec ita se habere ecclesiasticum canonem: Quod si omnino, inquebat, Imperator curam suam pro ecclesiastica pace interponere querit... fiat Ecclesiastica Synodus longe à Palatio, ubi nec Imperator pressus est, nec Comes se ingerit, nec Judex minatur, & ubi solus timor Dei ad omnia sufficit.

Apud Hil.
frag. 6.

Apud Hil.
frag. 5.

Apud Hil.
frag. 6.

Athan. in ep.
ad solit.

Ibid.